

P I S A

1 6 0 8

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.



THEORE-
MATA QUÆ-
DAM PHYSICA

Consensu Amplissimæ Facul-
tatis Philosophicæ in Inclyta VVi-
tebergensi Academia proposita.

Ad quæ
Christo duce & auspice

SUB PRÆSIDIO

M. JACOBI VVE-
RENBERG HAM-
BURG,

Facult. Philos. Adjuncti.

Respondebit.

Joannes Baptista Hochschildt
Pfesendorff: Austrius.

Ad 23. diem Januarij in auditorio majore.

VVITEBERGÆ, Typis Meisnerianis.
Anno 1608.



7-24

Illustribus & Generosis

DOMINIS,

DN. GEORGIO LU-

DOVICO,

ET

DN. IOANNI IOACHIMO,

Germanis Fratribus, Lib: Baronibus à Trautt-
manstorff, Dominis in Tozenbach, Brum, & Liechtenauv
Dominis suis Clementissimis.

UT ET.

Illustri & Generoso DOMINO,

DN. IOANNI GOTTHAR-

DO STREIN Lib: Baroni, à Schvvarze-
nauv, in Hirsbach, Domino suo clementissimo.

NEC NON

Generosis & Nobilissimis DOMINIS

Equitibus Austrijs,

DN. IOANNI ERASMO,

à Neudegg in VVildegg:

DN. ERASMO PRAVN

in Tainzendorff & VVaizendorff:

Pro tempore humanioribus literis in Inclytà Leuco-
reà Universitate, sternuam operam, cum laude
singulari navantibus; Dominis suis
observandis,

*Hanc suam nobilium quarundam questionem Physicarum
exercitationem P V B L I C A M streneloco offert.*

Joannes Baptista Hochschild

Respond:

THEOREMATA QUÆDAM PHYSICA.

THEOREMA I.

*Dantur in Natura agentia
æquivoca.*

NE uniformis narratio ex satietate fastidium pareret, placuit satietatem varietate vincere, nec in unica quaestione nos exercere, sed plures colligere in unum tamen conspirantes. Nam hoc artis est in unum saporem varia libamenta confundere. Primum ergo illud quaeremus, ane dentur agentia æquivoca. In quo quaesito ipsa natura varietatem nobis commendare videtur, siquidem non contenta est actione uniformi, sed etiam operationes æquivocas profert. Motu locali calor suscitatur illis in rebus, quæ motu rare fieri possunt. Sol motu radiis atq; influentiis suis ex putri materia animam evocat. In Ægypto ad Cairum pullos gallinaceos non numero sed mensura venales habent, quos admirando enasci procurant in hunc modum artificio. Ingentem ovorum numerum certis imponunt furnis per diversa solaria exstructis, quibus modico igne calefactis post diem septimum magna copia pulli enascuntur; teste Iohanne Leone lib. 8. descriptionis Africa: Scaligero Exerc. 23. sect. 1. Sic & generatio æquivoca est, quando ex mulo & æ-

A 2

qua

qua fit asinus, ex leæna & pardo leopardus, ex lupo & cerva linx. In omnibus enim hisce actionibus causæ cum effectis eandem specie naturam sortiuntur. Dubium igitur ulterius esse nequit, dari agentia æquivoca, quæ necessaria sunt, ut servetur adaugeaturq; rerum varietas.

THEOREMA II.

Datur effectus, cujus essentia secundum quid dignior est essentia cause.

Dubia est hæc assertio propter agentia æquivoca. In univocis enim non potest effectus ulla ratione censi dignior sua causa propter specificam essentia convenientiam. De agentibus autem æquivocis ideo dubitare contingit, quia animata corpora sæpe ab inanimatis producuntur. An autem propterea fallit illud, quod plerisq; videtur, vel certè sapientibus probatur: Effectus non potest esse præstantior sua causa? Nequit sane agens gradum perfectionis à natura attributæ in agendo superare: interim tamen potest dari in essentia secundum quid ignobiliori potentia, secundum quam ipsa alteri causæ juncta potest agere ultra id, quod in ipsius essentia formaliter includitur. Quare sic distinguimus, quod causa semper in agendi facultate superior sit effectui, nec tamen ad æqualem essentia perfectionem semper accedat. Cælum præstantius est verme, si agendi vires ponderes: at eidem aliquid concedere cogitur, quatenus inanimatum est. Quod si quis contra

tra

tra insurgat, & præstantiam operationum indicium esse nobilioris essentiæ arguat, eum remitemus ad distinctionem causarum solitariè & cum alijs agentium. In causis quidem, quæ solæ adhibitæ præstantiorem operationem edunt, majorem præstantiam argui posse concedo: de reliquis non consentio.

THEOREMA III.

Simile non agit in omnino simile.

Verum est profecto, quod observato rerum usu viri sapientes dixerunt simile non agere in simile: sed ne cavillationibus hoc, quod recte dictum est, depravaretur. Adjecimus inter omnino similia cessare actionem; quod sic intellectum volumus. Si in agente & patiente par essentiæ atq; accidentium sit ratio, nec agens virtute agendi præpolleat, omnis excluditur actio. Ubi enim adest finis, cujus gratia prius instituebatur actio, non frustra nititur natura ulterius, nihilq; proficiendo se fatigat, sed ab omni motione feriat. Nullum autem finem alium inter agendum natura respicit, nisi similitudinis suæ propagationem. Quare ubi illam effecerit, agendi finem facit. Tria tamen assertioni huic obstare videntur, actio reflexa, illuminationis ratio, & ferri candentis ustio. Cum enim idem in se ipsum agere valeat, & reflexa actione perficere se labore, non video, cur non etiam in objectum simile vires suas agens ulterius exserere possit. Si enim identitas ipsum ab agendo non avocet, quanto minus similitudo impediet. Huic

A 3

diffi-

difficultati omnes eodem modo non satisfaciunt. Albertus, Cajetanus, & alij qui existimant actionem fieri per species ab agente derivatas, inq; subjectum patiens commigrantes: harum reditu actionem reflexam definiunt. Quando enim propagatæ species non recipiuntur à patiente, ob contrarias qualitates eas regredi existimant, & sic agentis vires intendere. Proinde non concedunt idem agere in se ipsum. Solutio hæc multis implicatur absurditatibus, quia realis alteratio speciebus per se tribuitur: quia specierum motus successivus fingitur: quia accidentia ire & redire, & de subjecto in subjectum migrare creduntur. Suarez alium actionis reflexæ modum à multiplicatione qualitatum intrinsecarum dependentem introducit. Quando enim istæ prohibentur ne forâs erumpant, multiplicatione illa vires earum augmentur, & neq; sic idem in seipsum agit. Quæ si simpliciter vera essent, incrementum illud, quod actionem reflexam sequitur, non consisteret in intensione qualitatum, sed in sola extensione, non in virtute, sed in mole. Superest ergo, ut dicamus modum actionis reflexæ hunc esse. Quando forma substantialis ab externo hoste sese vult tueri, majoriq; conatu pugnat, tum in materiam agens formæ accidentalis perfectiorem gradum ex potentia in actum deducit, & sic, quod virtualiter actu calidum est, agit in illud, quod potentia calidum est. Quare neq; hoc agendi modo recepto idem agit in se ipsum in actione reflexa; quod tamen in argumento assumebatur.

Dixi

Dixi autem porro illuminationis rationem sententia nostrae reclamare. Quando enim aer unius candelae lumine illustratus est, perfunditur tamen alterius superveniente lumine, & sic lumen in illuminatum aerem simile nimirum in simile agit. Huic difficultati ut rectius occurramus, illud praemittendum arbitror, in illuminatione non tantum corporis lucidi representationem fieri, sed etiam perspicuum ab omni densitate liberari. Iam quando, uno praesente corpore lucido; & per speciem suam representato, accedit adhuc alterum, & suam quoque speciem diffundit per idem corpus, non agit in omnino simile: quoniam perfecta demum similitudo inter rem & rei imaginem terminatur. Deinde si alteram illuminationis actionem perpendamus, cum illa sit aequivoea, nequaquam in objectum omnino simile tendere videtur. Tertia difficultas a ferro candenti, quod ultra caloris sui gradum agere dicitur, petita facile solvi potest, si dicamus ferrum propterea non cessare a calefaciendo, quando caloris sui gradum introduxit, quia vehementiori agendi virtute pollet, quae combustioni sufficit. Si quis autem illius vehementiae requirat originem, deducemus eam ex materiae densitate. Scio quod Suarez hanc rationem non approbet, quia agendi vires non intenduntur per formae multiplicationem, sed extenduntur solummodo, quod demonstrare conatur per formae multiplicationem, quae fit in diversis suppositis. Verum attendere debebat nos intensionem virium

rium non ex multiplicatione sed, ex materiæ densitate evincere.

THEOREMA IV.

Omne agens agit per contactum.

Nihil in Philosophia pulchrius est, quam cernere principiorum primorum affinitatem; siquidem hoc non tenue certitudinis & veritatis ejus argumentum est. Vulgo dicitur naturam non facere saltum, sed ad extrema per media pervenire: accommodatissimum hoc est ad confirmandum hoc nostrum theorema: omne agens agit per contactum. Non tamen hoc æque apparere in omnibus actionibus objici nobis audio? Generatio metallorum, quæ in ipso terræ sinu à Sole perficitur, sine contactu fieri videtur? Videtur sane, si corpora intueamur sensum incurrentia: sed influentiis & lumini cœlesti hinc aliquid tribuendum est. Neq; conspicuus contactus, quando Catoblepas hominibus oculos ejus iuventibus exitio est? Similis in alterationibus est ratio. Una conspecta livorem ducit ab uva; nec tamen tangit? Novit torpedo vim suam piscatorum manus eminus stupefaciens? oscitante uno oscitat quoq; alter: In Triballis & Illyriis dicuntur olim homines fuisse, qui visu effascinare & interimere soliti sunt? Mirum, si in his actionibus contactum statuere velimus? Sensus quidem ita judicant: sed ratio facile intelligit absurdum non esse spiritus insensiles ex corporibus animatis effluere variarumq; alterationum causas esse. Sed quid dicemus de illis actionibus, in quibus res
procul



procul remotæ vehementius alterantur, quam eæ,
quæ in proxima sunt distantia? Naphtha bituminis
certum quoddam genus ignem è longinquo concipit.
Est & Epiri fons, qui facem accensam contactu
extinguit, procul vero admotam accendit. Quod si
hæc exempla longè petita fabulosa forte videantur,
intueamur ea, quæ sunt vulgaria, & quotidie sensibus
subjiciuntur nostris. Incalescit & fervet in charta o-
leum, charta non accenditur. Aqua in lebete fervet,
lebetis fundus mediocriter friget. Facilis horum est
solutio si modo respiciamus ad objectorum diversi-
tatem. Naphtha concipit ignem eminus propter
materiam bituminosam, quæ in proxima potentia
est ad ignem, & aliquo saltem calore in aëre excita-
to inflammatur. Similiter de fonte Epiri sentien-
dum est, qui sine dubio propter halitus calidiores
quos emittit faces remotas incendit: propter a-
queam vero humiditatem admotas extinguit. Ad
exempla ollæ & aquæ calefactæ chartæ & olei sic re-
spondet Fracastorius. Dicendum poris existentibus
in lebete & charta, citissimè calorem contrahere æ-
rem, qui in poris includitur, ac per ipsum incalescere
aquam. Porro quicquid aquæ calefactum est tolli sta-
tim & ascēdere, & loco illius subsidere partem aquæ
nihil calefactam, quæ lebetem infrigidat, qua pori
non sunt: atq; ita continenter fieri, ut pars aquæ ce-
dat & tollatur, pars succedat & refrigeret. Postea
subjicit: ita & oleum facit nam & ipsum actu frigi-
dum est. Atq; sic omnia quæ in alterationibus con-
B tactum

tactum negare videntur solvenda sunt. In motu locali videtur adhuc difficilius agentium & patientium contactum demonstrare. Obstant enim exempla magnetis ferrum attrahentis: Electri & adamantis pilos sublevantis: obstat motus projectorum. Ut ad hæc exempla rectè etiam respondeamus, cautio illa accedat, ne confundamus actiones transeuntes cum immanentibus. Nam in immanentibus non tantum agens patiendi propinquum est, sed etiam intimè conjunctum. Iam quod attinet illam, quæ à magnete fit, ferri attractionem, nondum satis constat, an ferrum per principium intrinsecum ad magnetem tendat, an vero à magnete attrahatur: prius si recipiamus, de contactu nulla restat dubitatio: si posterius probemus, ad occultas qualitates recurrendum est. Atq; sic utrobique datur contactus. Sic motus projectorum per aerem proximè subsequentem continuatur, & sic agens patienti ubique propinquum manet.

THEOREMA V.

*Creatoris est, non creaturæ, ex nihilo aliquid
producere, iterumq; in nihilum re-
digere.*

Verbis non sensu discrepat hoc theorema à vulgari illo axioma: ex nihilo nihil fit: quod cum profert Physicus, nequaquam contra Dei potentiam insurgit, aut creationem subvertere tentat, sed saltem infinitam agendi potentiam naturæ subtrahit, ne ex

ne ex natura Deum faciat. Videt enim infinitæ esse
potentiæ infinitam distantiam agendo superare. Ni-
hil autem & aliquid, sive ens & non ens negativum,
infinitè inter se distant. Quare à non ente ad ens
transitum naturæ impossibilem esse colligit. Hanc
impotentiam in omnibus actionibus natura prodit,
quandoquidem nec quodlibet agit in quodlibet, nec
quodlibet patitur à quolibet. Neq; tamen sic dimi-
nuta est naturæ potentia, ut nihil valeat destruere,
aut de novo producere. Manifestum est multa acci-
dentia, quæ olim non erant, neq; enim sensu perci-
piebantur, de novo, produci: neq; tamen ex nihilo
fieri dicuntur, quia ex subjecto, cui potentia inerant,
educuntur. Sic quando formæ substantiales, quæ an-
tea actu non erant, per generationem esse incipi-
unt, de novo certe producuntur, non tamen ex nihi-
lo fiunt, quia ex potentia materiæ educuntur, quæ
non sanè aliquid formæ est, est tamen aliquid: ac
propterea generatio, non est productio ex nihilo. Si-
mili modo forma quæ erat antè, per corruptionem,
desinit esse, neq; tamen abit in nihilum, quia in ma-
teria destruitur, ac destructionis suæ terminum ha-
bet privationem quæ non negativum, sed privati-
vum nihil est.

THEOREMA VI.

*Humana corpora beluinis permutare non
valet Diabellus.*

EX fabulosis Poetarum commemorationibus de-
prompta est illa de corporum humanorum trās-

B 2

muta-

mutatione opinio, quæ nunc apud plures recepta in-
valuit, eosq; falso credere coëgit Diaboli conatus ad
illud, efficiendum assurgere posse, ut ex humanis
fiant beluina corpora. Persuasit hoc primum Home-
ri auctoritas: quem deinde simili fingendi licentia
secutus est Virgilius: progressuq; temporis ea, quæ
fabulosè dicta erant, speciem veri habere visa sunt.
Sic illa Circe ab Homero & Virgilio celebrata infi-
gnis credita est venifica: quæ herbis potentibus in-
vultus atq; ora ferarum homines humana ex facie,
innuit. Cui assertioni fidem facit illud, quod etiam
anima vires herbarum sentit, & virtute nonnulla-
rum furore corripitur. Quid ergo mirum est corpus
talem subire metamorphosin, quod herbarum viri-
bus magis subjacet? Neq; certè, quod observato re-
rum usu viri sapientes dixerunt, pro commento ha-
bendum est facile. Referrī audimus non recentium
sed veterum testimonia. Quale est illud Herodoti
lib. 4. Solini cap. 25. & Pomponij Melæ lib. 2, qui o-
mnes in eo consentiunt, quod Neuris statum sit tem-
pus, quo, si velint, in lupos, iterumq; in eos, qui fuere,
mutentur. Quin & Virgilius meminit herbarum,
quarum virtute fit illa transfiguratio. Ecloga 8. Et
Ovidii figmentum de Lycaone Arcadiæ rege, quod
extat lib. 2. Met. aliunde ortum non videtur. Adde-
re his etiam solent augustiora testimonia, quæ sacra
suppeditat pagina; ut exemplum Nabuchodonozo-
ris, quia consortio hominum abjectus naturam bo-
vis induit, neq; ut homo inventus herbas agri co-
medit

medit Daniel. 4. vers. 33. Factum item Magorum Ægyptiorum, quorum incantationibus baculi in dracones sunt conversi. Exodi 7. His rationibus quod inauditum atq; inusitatum videri poterat, aliquo modo fit probabile. Nos tamen, qui fabulis fidem adhibere, aut experientiæ soli confessioni præstigatorum innitenti credere haud satis tutum arbitramur, longe alia sumus insententia. Nec enim persuaderi possumus adeo levi & momentanea alteratione membra corporis solida mutari essentialiter posse. Subsistere etiam illud nequit, quod anima rationalis in tam abjecto domicilio habitare fingitur. Cum enim essentialis inter animam & corpus sit nexus, corpore immutato, anima quoq; migrare cogitur. Quod si concedunt, paratum est præcipitium, quod in majores errores ducit. Non enim injussu Dei vinculis corporis anima liberari potest, neq; soluta à corpore iterum remeare, eidemq; restitui nisi divina virtute. Propter has rationes majus sententiæ nostræ pondus inest, quam quod contrariæ conciliare potest experientia & auctoritas. Nullum tam impudens mendacium est, inquit Plinius de hac ipsa quæstione, quod teste careat. Nec, quod rationi allatæ respondeamus, invenire difficile est. Colligebat argumentum à mutatione animæ ad mutationem corporis, falsa omnino assumpta hypothesi. Non enim in furiosis anima per se laborat, sed humores ac spiritus corrumpuntur, ipsiusq; cerebri temperies depravatur, quæ alterationes leviores sunt, & citius

absolvi possunt, quam si partis solidæ substantia mutari debeat. Nec minus in exemplo Nabuchodonozoris petitur principium; quando quidem scriptura satis innuit eum non in beluam mutatum esse, sed affectu beluino laborasse. Exemplo deniq; præstigatorum Ægyptiorum duplici modo occurrere possumus. Primo non æquè operosa est baculi in serpentes transfiguratio, atq; is transitus, qui ab homine ad brutum animal tendit. Deinde in ambiguo versatur illud, an baculi revera sint transmutati; an vero iis remotis, Diabolus serpentes aliunde allatos produxerit. Sed, quid ita obnixæ in his refutandis hæremus? Concludamus potius cum Plinio: Homines in lupos verti, rursusq; restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus. Non autem eum in finem hæc dicuntur, ut Diaboli potentiam extenuemus. Vocat eum scriptura aëris principem, in quo dominio suo quantum possit, crebris sæviendo tempestatibus satis superq; probavit.

THEOREMA VII.

Ex congressu Diaboli & femina homo non homo gignitur.

Possemus multa referre de fœda illa libidine, qua homines impuris miscentur spiritibus; sed præstat scelera ignorari: quin ipsa indignitas ac turpitudine a mentione rei illius nos abigit. De eo saltem dicemus, quod ex incubis mulieres gravidas hominem pepe-

peperisse narrant. Non diffitemur equidem talia
humani partus spectacula hominum oculis, sæpe
fuisse objecta; sed illud nobis persuaderi nunquam
patiemur verum hominem inde progenitum fuisse.
Editus fuit ex tali conceptione homo non homo,
hoc est monstrum humanam ex parte referens figu-
ram, quo ad cætera incarnatus Diabolus. Primo e-
nim natura ipsa reclamare videtur huic generationi
in eo, quod certis organis allegavit viri cum fœmi-
na congressum, in quo ineundi modo si vel mini-
mum contingat vitium, irritus est omnis conatus.
Quomodo ergo dicemus Diabolum semen susce-
ptum extra definitum locum conservare, cum orga-
nis conservantibus destituatur. Adhæc, si vel maxi-
mè posset immundus ille spiritus, tamen non inten-
deret hominum generationem promovere, cum
maximo eorum flagret odio, sicut impia Sileni voce
declaravit: Optimum esse nō nasci, aut natum quam
ocysime aboleri. Non igitur audiendi sunt illi, qui
angelorum hominum; carnalem copulam ex cap. 6.
Genes. evincere conantur. Filij Dei inisse dicuntur
filias hominem. Pios nempe tanto honore dignatur
S. Sanctus non tantum eo in loco, sed & alibi. Ioh. 1:
1. Petri 1: 2. Petri 1.

THEOREMA VIII.

*Sine omnibus prestigiis facta est, quæcumq;
à bonis angelis facta est apparitio.*

Quem-

Quemadmodum sine dolo & fallaciis omnia agunt synceri illi spiritus: ita hominibus imponere nesciunt. Quare induti forma hominum veris semper apparuerunt corporibus. Sed inde non efficitur, quod propria virtute illa assumerint. Deo potius, in cuius erant ministerio, illa *ὁμοιοπλασία* ascribenda est, siquidem ei impossibile non est ex lapidibus filiorum Abrahamæ excitare. Quare nec difficile ejus iussu, quod semel assumptum fuit, iterum deponi. An vero corpora illa deposita in nihilum abierint, an ad alios usus sint servata, quid juvat quærere?

THEOREMA IX.

Per traducem animarum rationalis propagatur.

ET sæpe, & cum multis tractandum, inquit Plinius, quod placere & semper & omnibus cupias. Valebit hoc nobis ut speramus, ad veniam, dum iterum de origine animæ quærimus. Quærimus enim aliorum quæstionibus excitati, communiq; sciendi desiderio inflammati, eumq; in finem quærimus, ut quæ aliis nota est, nobis quoq; requirentibus obvia fiat veritas. Non diu autem adhærebimus scopulis illis, qui jam detecti sunt. Origenem in hoc de origine animæ quæsito graviter impingere nemo non animadvertit. Miramur omnes *μετεμψύχωσιν* Pythagoræam cum ipso auctore non statim defuisse. Contra novam animarum creationem, earundemq; infusionem ab aliis satis dictum est. Si enim illa recipere-

tur,

tur, vox Dei benedicentis irrita esset, nec imago Adæ
in nos plenary derivaretur, ipsumq; Deum peccati
auctorem accusare possemus, quod immundum no-
bis dederit spiritum: neq; hælocutiones de hominis
generatione recte usurparentur: ex femore paren-
tum exivimus: ex carne nati sumus: in iniquitatibus
concepti sumus. Tribus quoq; verbis sufficit illam
tetigisse sententiam, quæ ex semine parentum ani-
mam rationalem simpliciter vult educi. Nam ani-
mam quantam, & interitui obnoxiam statuere cogi-
tur. Superfunt duæ sententiæ: una de creatione ani-
mæ ex traduce: altera de propagatione per tradu-
cem: plenæ variis dubitationibus, quibus animus et-
iam bene institutus adeo distrahi potest, ut hæsitare
incipiat. Olim visum est mihi nihil dici posse con-
cinnius, quam animas à Deo creari in corporibus ex
immundo traduce: hoc est, Deum quidem esse cau-
sam agentem immediatam humanæ generationis,
sed tamen immundum adesse spiritum, ex quo ipsa
anima educatur. Sic enim credidi me à Deo causam
peccati remove posse: sic & parentibus generatio-
nis materiam suppeditantibus generationem ascri-
bi posse existimavi. In illa autem opinione duo me
potissimum confirmabant. Videbatur primo me-
cum facere scriptura, quæ Eccles. 12. reditu animæ ad
Deum, qui dedit illam, nos consolatur. Si enim ani-
ma ex mortali venisset principio, immortalitatis
spem concipere non posset. Convertens me deinde
ad naturam satis intelligere non potui, quomodo se-
men,

C

men,

men, cui neq; actu primo neq; actu secundo anima
ineft, quodq; jam ab altero parente remotum est,
virtute tamen parentis utriusq; in conceptione ani-
mâ donetur, eâq; à parentum anima distinctâ. Pro-
pter hæc difficultates in illam, quam modo recita-
vi, opinionem tum fui propensior: & tamen is quoq;
animus erat arripere avidè, si aliquando quis melio-
rem propinaturus esset veritatem. Cogitavi proin-
de sæpius, ane aliqua inveniri posset solutio, quæ
vim argumentorum modo allatorum dissolvere
posset: & videbam non deesse, quod ad testimonium
scripturæ responderi queat, sed majus negotium fa-
ciebat ratio. Semen enim actu animatum non esse,
sic colligebam firmiter. Aut anima parentis anima-
tum est, aut anima propria. Prius subsistere nequit,
quia anima parentis anima fieret filii, & cum semine
ex parentis alterius corpore emigraret. Nec pro-
pria anima semen animatum esse potest, quia, cum
uterq; parens semen conferat, utrumq; suam ani-
mam haberet: sic gemina futura esset filii anima.
Quia ergo semen, anima caret neq; sufficiens vide-
batur ad generandum hominem animatum. Ad pa-
rentis autem absentis virtutem recurrere magis ab-
surdum est: non potui olim, ut dixi, hunc nodum
solvere: & adhuc: In reliquis hujus argumenti mem-
bris firmam esse consequentiam nullus dubito hoc
unum saltem non satis cogere nunc deprehendi: Se-
men inanimatum non est sufficiens ad generandum
hominem animatum. Quod ne sine fundamento
pro-

protulisse viderer, præmisi eum in finem theorema. 2. Si quis in hunc portum sese mecum recipere non voluerit, graviores alibi experietur difficultates. Nos interim, rejecta illa de creatione animæ sententia ingenuè, & sine cujusquam præjudicio alteram nunc profiteamur: quod semen inanimatum, ubi recepit virtutem πλασικὴν derivatam ab anima rationali parentum & per infusionem propagatam, vi divinæ benedictionis hoc habeat, ut possit animam rationalem producere: non aliter atq; semen bruti similiter virtute πλασικὴ perfectum animam sensitivam generat: hoc saltem servato discrimine, quod ibi inducatur anima: hîc educatur. Et in hac sententia confirmant nos illa fundamenta quæ antea adducta sunt contra animarum novam creationem. Sed quomodo illam difficultatem declinabimus, quod vis πλασικὴ, quæ animæ essentiam sequitur, ab anima hac ratione sejungitur, cum proprium à suo subjecto separari nequeat? Non concedendum est, quod vis πλασικὴ proximè consequatur essentiam animæ, magis verisimile est per divinam benedictionem hoc animæ tributum esse, ut in semine excitet vim πλασικὴν, quam deinde semen, dum in suo conclusum manet loco, fideliter retinet & conservat. Sed quomodo illud abiurdum effugiemus, quod accidens substantiam producere dicitur? Non producit propria virtute, sed ea quam accepit ab anima rationali. Quid tandem dicemus de virtute illa πωγασικὴ, quorsum evadat, ubi opus suum impleverit,

verit? an in nihilum forte abit? Minimè vero, sed
juncta animæ conservatur, donec tandem, ubi ætas
hominis geniti maturuit, iterum sese exferat, & sibi
similem virtutem *πλασικην* semini infundat; ut sic
adimpleatur benedictio divina: Crescite,
& multiplicamini.

F I N I S.



Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden

nach Ausleihe


an Retro-Ecke


OK

Zurück!

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

III



THEORE-
MATICA QUÆ
PHYSICA

simplicissimæ Facul-
tatis in Inclÿta VVi-
maria Academia proposita.

*Ad que
auctoritate & auspicio*

PRESIDIO
JOHANNIS VVE-

BERG HAM-
BURG,

Philos. Adjuncti.
Spondebit.

*Johann Baptist Hochschildt
off. Austrius.*

Januarij in auditorio majore.

Æ, Typis Meisnerianis.
anno 1608.



Handwritten scribbles at the bottom of the page.

Handwritten blue mark on the right side of the page.

